

Pectoris sui, & etiamsi innumerabiles populos
cateruatim secum ad inferos precipites trahat,
nihil tamen hoc ipso reprehendendum ab ullo
mortalium esse, nec eum ulli auctoritati Evangelica
subiectum esse. Textus est in ca. Si Papa. distinct.
40. Hinc assentatores tribuerunt Pontifici plura,
quam Dei Verbo. Papa, inquit, auctoritatem
suam habet non à scriptura, sed potius à Papa
auctoritas scriptura oritur, qui solus idem habet
consistorium cum Deo, idem tribunal cum Chri-
sto, & omnem potestatem in celo & in terra ceu
visibilis Deus, Super caelestia, terrestria, & infer-
nalia, & ceu Sol inter Planetas, Princeps om-
nium, & causa causarum, dominus dominantium,
Rex Regum, sub se habet subditos omnes mor-
tales, imò omnes Creaturas, Episcopus totius or-
bis terrarum, iudex omnium, etiam Angelorum,
à quo non possit appellari ad Concilium, imò ne
quidem ad ipsum Deum, cum habeat ab ipso Deo
sibi datam plenitudinem absoluta potestatis, &
possit de iure supra ius statuere, contra & extra
ius, pro ut vult, cum sit & omnia, & supra om-
nia, & omnia facere possit, quae Deus facit, maior
Mose, maior Angelo, maior Petro & Paulo, cui
liceat sacramenta immutare, contra Epistolas
Pauli statuere, dictis Apostolorum derogare, non
subiectus ulli iudicio, ita ut nemo debeat dicere
Papa, cur ita facis? cui liceat de iniustitia facere
iustitiam, & mutare iura, & approbare & im-
probare